

**www.e-rara.ch**

**Enchiridion botanicum exhibens classes et ordines plantarum accedit  
nomenclator generum et officinalium vel usualium indicatio**

**Endlicher, Stephan Ladislaus**

**Lipsiae, 1841**

**ETH-Bibliothek Zürich**

Shelf Mark: Rar 26377

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-64117>

Classis XLIII. Rhoeades.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

diffusus, communis notitiae est. In borealibus campestris, austrum versus in montes ascendit, in campestribus Italiae vita saeculari nonnunquam in arborem satis spectabilem increscens. Hunc Oxyacantham s. spinam acidam veteres, Amyrberim Arabistae, nos Berberim dicimus. Liber radice et trunci ramorumque substantia flavo-tingente scatet; virtus purgans, usus olim ob flavedinem in ictero non infrequens. Baccae immaturae amaro-adstringentes, bene maturae acidae. Istarum succum etiam inter medicinas acidas admittimus, v. cum saccharo mixtum inter lauitias habemus. Rarius nativi sacchari aucta in uno v. altero frutice copia baccae dulcescunt; has miraculo a vecordibus haberi, et multo clamore circumferri nuper risimus. Folia nascentia, cum aliqua adstrictione acida, in gingivarum laxitate masticanda commendantur, etiam in aetariis edenda. Etiam sinenses, indicae et boreali-americanae congeneres fructuum sapore commendantur. Baccarum acidulo-dulcibus *Berberis* (Mahoniae) *fascicularis* Sims. maxima in America boreali laus est. Siccitas in sole Berberum baccas Indi monticolae in plantiliem devehunt, ut ibi aestuantibus grate refrigerantem cibum vendant.

Ex austro-americanis *Berberis glauca* DC., *Berberis ilicifolia* Forst., *Berberis tomentosa* Ruiz et Pav. et *Berberis lutea* Ruiz et Pav., ex indicis *Berberis aristata* DC. (Chitra) plantis flavo-tinctoriis adnumerantur. Ligni flavi (Dar-huld) magna apud orientales populos fama est. In India e quibusvis *Berberis* speciebus, imprimis tamen e *Berberi Lycio* Roysl. (*Kushmul*), coctis ligni, e radice v. trunco aut ramis desumpti, in vase ferreo cum aqua frustulis, extractum (vulgo Rusot) paratur, *Lycii indici* nomine jam a Dioscoride commemoratur, quod externe adhibitum maximi in Ophthalmiis sanandis medici Indigenae putant, nec spernunt, crudum v. cum alumine et opio mistum, qui ex Europa advenae, salutarem in his terris artem exercent.

*Epimedium alpinum* Linn. nostratis folia amaricantia, olim inter medicinas sudorificas, alexipharmacas numerata. Idem radice *Leontices* (Caulophylli) *Ulotrooidis* Linn. (Blue Cohosh) apud boreali-americanos usus est. Hujus etiam semina inter Coffeae succedanea numerantur.

*Bongardia Chrysogonum* C. A. Mey. (*Χρυσόγονον*) in Graecia et Oriente nascitur; folia grate acidula, Runicum Acetosarum in modum comeduntur. Radicem veteres alexiteriam perhibent. *Leontice Leontopetalum* Linn. in Europa australiore et Oriente crescit. Radix (*Aslap*) in pulverem trita Halapensis saponis loco est, quo pannum fricando lavant. A Turcis correctorium Opii nimis hausti perhibetur.

*Podophyllum peltatum* Linn. (Mandrake, May-apple) in America boreali crescens, qualitibus affinitatem cum Berberideis confirmat, et transitum ad Papaveraceas non inficiatur. Herba enim narcotica est et venenata; radix substantia resinosa, extractiva amara et gummosa foeta, tutissime Jalapae in modum purgat, baccae acidissimae (vulgo *Wild-Lemons*) innocuae, si cui placent, comeduntur. Nihil de plantae americanae congeneribus indicis comperi.

### Classis XLIII. Rhocades.

*Herbae*, rarius *frutices* v. *arbores*, succo aqueo v. colorato, *foliis* alternis aut rarissime oppositis, simplicibus v. interdum compositis, floribus plerumque perfectis, *calyce* libero, deciduo, *corollae* receptaculo insertae petalis liberis, aequalibus v. interdum asymmetricis, rarissime nullis, *staminibus* indefinitis v. definitis, liberis v.

nonnunquam diadelphis, *germine* unico, di-polyphylo, uni-biloculari, *gemma* plerumque pluribus, imo plurimis, *fructu* capsulari, siliquoso, nucamentaceo v. baccato, *embryone* nunc in basi albuminis copiosi minimo, recto v. subarcuato, nunc exalbuminoso, varie curvato.

### Ordo CLXXXII. Papaveraceae.

*Herbae* annuae v. perennes, rarius suffrutescentes; radice simplici v. interdum caudice hypogaeo tuberoso. *Succus* aqueus v. lacteus, saepe croceus. *Caulis* teres, interdum hypogaeus, folia scaposque exserens. *Folia* sessilia v. saepius petiolata, alterna v. superiora nonnunquam opposita, simplicia v. composita, decomposita v. supradecomposita, rarissime integerrima. *Flores* perfecti, regulares v. irregulares, nunc solitarii pedunculati, nunc in racemum simplicem, abbreviatum v. compositum dispositi, interdum subcymosi; pedunculi terminales v. rami axillaris elongatione oppositifolii v. e ramorum dichotomia exserti, rarius e caudicis hypogaei gemma orti, scapiformes. *Calyx* di- v. rarissime triphyllus, foliolis duobus, valvatis v. imbricatis, herbaceis aut interdum subcoloratis, liberis v. rarissime inter se coalitis, caducis. *Corollae* petala receptaculo inserta, decidua, in *Papavereis* calycis foliolis dupla v. tripla (quatuor-sex-octo v. duodecim) aestivatione imbricata, irregulariter plicata v. planiuscula, interdum nulla, in *Fumariis* quatuor, libera v. varie cohaerentia, lateralia calycis foliolis opposita saepissime cum staminis rudimento connata, posticum basi saccatum v. calcaratum, anticum postico conforme, v. planiusculum et basi aequale. *Stamina* receptaculo inserta, in *Papavereis* indefinita, multiseriata; *filamentis* filiformibus *antherisque* liberis, bilocularibus, longitudinaliter v. latere dehiscens; in *Fumariis* sex, diadelpa, phalangibus petalis antico et postico oppositis, synemate membranaceo, trifido, nunc utroque, nunc tantum postico basi extus processu brevi, glanduloso, nectarifero instructo, lobi medii *anthera* bilateralium uniloculari, loculis longitudinaliter dehiscens. *Germen* liberum, di-polyphyllum, trophospermiis intervalvularibus, gemmulam unicam v. plurimas gerentibus uniloculare. *Gemmulae* amphitropae v. anatropae. *Stigmata* connata, trophospermiis numero aequalia et alterna, rarius dupla, iisdem alterna et opposita, interdum collectoribus stipata. *Fructus* siccus v. rarissime baccatus, unilocularis v. interdum septulis transversis plurilocularis, indehiscens v. valvis plus minus completis dehiscens, valvulae formibus, septa incompleta constituentibus solutae, v. easdem bipartientes et margine auferentes. *Semina* plurima v. rarissime

solitaria, sessilia aut interdum funiculo brevi affixa, subreniformia, hilo nudo v. caruncula cristaeformi stropholato. Embryo in basi albuminis copiosi, carnosio-oleosi minimus; cotyledonibus duabus aut interdum unica, nonnunquam tribus v. quatuor bifidis, germinatione filiformibus v. foliaceis, radícula ab hilo remota, centrifuga.

**Subordo I. Papaveraceae.** Stamina libera. Petala regularia, rarius nulla. Succus lacteus, rarius aqueus.

**TRIBUS I. ARGEMONEAE.** Succus lacteus saepissime croceus.

GENERA.

- SUBTRIBUS I. BOCCONIEAE.** 4823. Papaver Tournesf.  
Calomecon Spach.  
Meconium Spach.  
Meconidium Spach.  
Meconella Spach.  
Rhoeadium Spach.  
Argemonidium Spach.
4816. Bocconia Plum.  
4817. Macleya R. Br.  
4818. Sanguinaria Linn.
- SUBTRIB. II. PAPAVEREAE VERAEE.** 4824. Closterandra Belang.  
4825. Roemeria Medik.  
4826. Glaucium Tournesf.
4819. Chelidonium Tournesf.  
4820. Stylophorum Nutt.  
4821. Argemone Tournesf.  
Echthrus Lour.  
4822. Meconopsis Viguiet.  
Cerastites Gray.

**TRIBUS II. HUNNEMANNIEAE.** Succus aqueus. Capsula bivalvis, valvis margine seminiferis.

GENERA.

4827. Eschscholtzia Cham. 4828. Hunnemannia Swoet.  
Chryseis Lindl. 4829. Dendromecon Benth.

**TRIBUS III. PLATYSTEMONEAE.** Succus aqueus. Capsula trivalvis, valvis margine seminiferis, v. capsulae plures liberae, in articulos monospermos secedentes.

GENERA.

4830. Platystigma Benth. 4832. Platystemon Benth.  
Boothia Dougl.
4831. Meconella Nutt.

**Subordo II. Fumariaceae.** Stamina libera v. in phalanges connata. Petala disparia.

**TRIBUS IV. HYPECOEAE.** Stamina libera.

GENERA.

4833. Hypecoum Tournesf. 4834. Chiazospermum Bernh.  
Maemosilla Forsk.

**TRIBUS V. FUMARIEAE.** Stamina in phalanges duas connata.

GENERA.

- SUBTRIBUS I. DICENTREAE.** b. Cucullaria Raf.  
Dielytra Borkh.  
4835. Dactylicapnos Wall. Dicentra Bernh.  
Bicucullata March.  
4836. Dicentra Borkh. c. Macrocapnos Royle.  
Dielytra DC. 4837. Adlumia Raf.  
a. Eucapnos Bernh. Bicuculla Borkh.  
Capnorchis Borkh.

## SUBTRIBUS II. CORYDALIDEAE.

- |                                 |                                       |
|---------------------------------|---------------------------------------|
| 4838. Phacocapnos Bernh.        | c. Bulbocapnos Bernh.<br>Capnites DC. |
| 4839. Corydalis DC.             | d. Leonticoides DC.                   |
| Capnoides Boerh.                | 4840. Discocapnos Cham. et Selh.      |
| Neckeria Scop.                  | 4841. Sarcocapnos DC.                 |
| a. Capnoides Gärtn.             | 4842. Cysticapnos Boerh.              |
| Borkhausenia Flor. Wet-<br>ter. | Corydalis Neck.<br>Capnocystis Juss.  |
| b. Capnites Endl.               | 4843. Fumaria Tournef.                |
| Capnoides DC.                   | Sphaerocapnos DC.                     |
| Corydalis Bernh.                | 4844. Platycapnos DC.                 |

**Affinitas.** Ordo hinc Berberideis et Ranunculaceis, illinc Cruciferis et Nymphaeaceis affinis est. Ex embryone intra albumen copiosum minimo, ex germine saepe polyphyllto et e carpidiis, in uno saltem genere (Platystemone), discretis ad plantas Polycarpicas accedit, ex trophospermiorum intravascularium indole, et ex universa fructus fabrica arctiorem cum subsequis in hoc systemate plantarum familiis affinitatem habet.

**Geographia.** Papaveraceae in regionibus temperatis hemisphaera borealis maximo numero generantur, in Europa et America boreali imprimis copiosae, multo in Asia rariores. Inter tropicos et trans capricornum paucissimae habitant. De *Papaveris* dispicientes, genera succo lacteo petalisque aestivatione planis donata (*Bocconieae*) in America boreali nasci observantur. *Papaverescae verae*, ab his petalis aestivatione corrugato-plicatis distinctae, in veteri potissimum orbe habitant. *Papaveris* species in Europa et Asia temperata obviae sunt, etiam in extremo septemtrione et in summis alpinis visae; nonnullae in Capite bonae spei et in Nova Hollandia repertae fuerunt. *Meconoseae* et *Argemones* generum sedes latissime patent, hoc inter tropicos divulgatum, illud per montes plagae extratropicae borealis diffusum. Etiam *Chelidonium* genus amphigaeum est. *Stylophorum* Americam borealem, *Römeria*, *Glaucia* et *Closterandrae* regionem mediterraneam et Orientem incolunt. *Papaverescae* succo aqueo (*Hunnemannieae* et *Platystemoneae*) omnes in America boreali, imprimis occidentali vivunt. *Fumarieae* in temperatis hemisphaerae borealis, imprimis in regione mediterranea et in America boreali reperiuntur. Nonnullae in Capite bonae spei habitant, sui generis. E regionibus tropicis exulant.

**Qualitates et usus.** Papaveracearum succus substantiis prorsus peculiaribus, narcoticis et acerbis, diversa plane in diversis miscela foetus est. Quae lympham coloratam vehunt, prae reliquis mihi hoc loco memoranda.

*Papaverum* succus lacteus inspissatus *Opium* (ὀπῖον) est, veneni narcotici genus, magnae apud medicos dignitatis, majoris in populorum fatis momenti. Nam gliscit apud gentes, quae perniciosissimo temeto utuntur, vesania, et brevi per terrarum orbem curret. Graecos primum Opio inter medicinas usus fuisse constat, Romanorum quosdam vitae taedio *Papaveris* succum ad mortem hausisse. Ex Aegypto et Perside per Mahometis asseclas, vini abstemios, propagatus est pharmaci mire cerebrum demulcentis abusus. Sero ad Indos navigavit, qui hodie vastis agris opiferae plantae culturam exercent; Sinisque scelus sapienter arcentibus, armis merces obtruditur. Inter nos virus serpit, mox effrene elaturum caput.

Quomodo *Opium* in Oriente et *Papavere somnifero* Linn. obtineatur, jam veteres tradidere. Collectio per ineuntem aestatem perficitur, propinqua maturitati capita decussatim sauciando per superficiem. Culter negotio inserit duplici v. triplici, imo quintuplici acie instructus, qui una sectione plura insigit vulnera. Promanans e vulnusculis succus postridie scalpro abstergitur et in vasculum colligitur, tum altera facies eodem modo vulneratur. Primae collectionis lacryma praestantior est, et graviore pollet virtute, colorem exhibens albidum v. e luteo pallentem, sed qui ex longiore insolatione et ariditate infuscari solet. Altera collectio succum prorsus prioribus et pretio inferioriorem, coloris ut plurimum obscuri v. e rufo nigricantis; tertiam si instituunt,

lacrymam obtinent nigerrimam et exiguae virtutis. Praeparatio potissimum in eo consistit, ut aquae pauxillo humectatum, spatha lignea continuo et fortiter ducatur et reducatur in patina plana, pariter e ligno facta, donec picis elaboratissimae consistentiam, tenacitatem et nitorem inducat. Ita diu subactum ad ultimum manu pertractatur nuda, et in placentas et cylindros breves formatum venundatur. Vilem speciem e succo capsularum expresso, vilissimam (*Meconium*) ex integra planta pressa et cocta obtinent.

Succus ita praeparatus substantiis prorsus peculiaribus aliis alcaloideis: *Morphina*, *Codaina*, *Narcotina* (Opiana) et *Thebaina* (Caramorphina), aliis extractivis: *Narceina* et *Meconina*, acidisque sui generis, *meconico*, *comenico* et *pyromeconico* calet; ut de pluribus aliis, quarum natura in dubium vocatur, hic prorsus taceam. Mercis magna varietas, multa miscelae etiam in placentis ex eodem portu advectis diversitate. Quod Smyrna v. Constantinopoli advehitur, in Asia minore paratum, placentas sistit subrotundas, sesquilibrae pondere, extus duras, intus molliores, Rumicis cujusdam fructibus conspersas, et Papaveris folio obvolutas. *Persicum Opium* in cylindros formatum est, digitum minimum crassos et longos, charta laevigata, filo gossypino firmata, involutum. Minimam hoc Morphinae quantitatem continere perhibent, tanto plus farinae Oryzae admixtum habere. *Opium*, quod ex Aegypto petunt, *Opium thebaicum* nomine percelebris apud veteres merces est, duritie a *Smyrnaeo* distincta. Acidi meconici majorem in isto copiam, Morphinae difficilium puram elici asserunt. Nunc quodvis *Opium* purum *thebaicum* dicere consuevimus, antiquissima mercis gloria ad ipsius substantiae, ubi vis paratae, virtutem translata. *Opium* apud Indos paratum in nostris emporiis rarissimum est. Experimenta *Opium* in Europa parandi incassum facta sunt; nam quod Graeculi et Peloponneso et insulis advehunt, vilissimum est.

*Papaveris somniferi* L. incertae natales. Plantae inter hortenses satuae egregia imagine vates iliacus utitur, vulnerati in pectore Gorgythionis nutans sub cassidis pondere caput describens:

„μήκων δ' ὡς ἑτερώσε κάρη βάλεν, ἦτ' ἐνὶ κήπῳ,  
 „καρπὸν βοιωμένη γοθύσι τε εἰαυρήσιν.  
 „ὡς ἑτερώσ' ἤμισε κάρη πῆλκι βαρυνθέν.“

Hanc in regiae aedis horto cultam etiam antiquissima Romanorum de Tarquinio Superbo commemorant carmina. Latius ab Arabibus propagata est. Carolus Magnus in hortis regis Papaver ali jubet. Cultura hodie per omnem Europam in hortis obtinet, nec desunt, ob seminum, quem statim memorabo, usum apud nos agri Papavere consiti, mire floribus plerumque semiplenis decori. Species ad Indos et Sinas Japonisque propagata est; in America crescere detrectat. Nomina Papaveri somnifero primum indita, tandem ad universum genus translata. Honor a vili specie inter segetes crescente et Cereri sacra ad nobiliores manavit. *Mήκων* (*μάκων*) fueritne a longitudine (*μήκος*) dictum, vel ab insula quadam *μήκωννα*, ubi Papaveris fructum Ceres reperisse fertur, seu ut alii volunt a „τό μη κωνείν“ non quaero. Slavorum *Mak* et theotiscum *Mag* (nos *Mammanant*). *Papaver a pappando* dictum non penitus ineptiunt; nam etiam petala (*πλαταγώνια*) ob sonum, quem compressa edunt (unde nostrum Pippau s. Pilsch, vulgo Klatschrose, Papaveris Rhoeadis vulgare nomen), cognominata sunt, veteribus in experimentis amatoris famosa. Duplicem *Papaveris somniferi* varietatem distinguunt, alteram seminibus albis, petalis multo colore ludentibus, integris seu fissis (*μήκων ἡμερος* s. *θυλακίτης*), alterum seminibus nigris; his tertiam, ex hortis aufugam seu feram (*μήκων ἀγρία*, *ροίας* s. *πιθίτης*) addunt. *Opium* veterum alii ex varietate melanosperma (unde *ροίας*, quod suecique fieri satis hodie constat. Semina oleosa sunt et mitia, utut veneni in integumentis residui non penitus expertia. Alba cum cibus farinaceis miscentur, frequentissimi et nimii apud ruricolos nostrates usus, et in emulsionibus pro-

pinantur. Ex albis nigrisque promiscue oleum pingue exprimitur, cuius recens e prelo manantis vim somniferam et temulentam ipse expertus sum. Remanentium placentarum gravis Opii odor. Etiam capsulae ante maturitatem collectae et in sole siccatae sine seminibus (*Capita Papaveris*) in officinis servantur, et praeparando remedio lenienti (Syrupo Diacodii s. Meconii) inseruiunt.

*Papaveris Rhoeadis* (*παπαροῦνα* et *πετρὸς* Neogr.), plantae inter segetes vulgaris, petala recentia coccineo-rubicunda odore narcotico gaudent, siccata (*Flores Rhoeadis* s. *Papaveris erratici*) in colorem sordide violaceum transeunt, sapore amaro-mucoso instructa; virtutem lenientem mucosae imprimis debent, partibus quas habent aliis marcore evanescentibus.

Papaveracearum genera reliqua, quae lympham coloratam vehunt, praeter substantias narcoticas etiam acres continent. *Chelidonium majus* Linn. (Schöllkraut) planta apud nos ex vulgatissimis est, succo croceo, acri turgida. Extractum ex succo et infusum radicis inter medicinas excitantes acres numerantur. Lympha cuti applicita rubefaciens, principio volatili acri, substantia alcaloidea (*Chelidonia*), subalcaloidea (*Pyrrhopina* s. *Chelerythrina*), materie flavo-colorante (*Chelidoxanthina*) et acido sui generis, cum calce nupta, foeta est. Usus adversus verrucas et maculas corneae antiquissimus est, laudem in ictero colori debet. *Bocconia frutescens* Linn. Mexicanis *Chelidonia* loco est.

*Glaucium luteum* Scop. (*ψύκων νεφελίτις*, *Papaver corniculatum* Offic.), acidi fumarici non exiguam portionem retinens, succi colore cum *Chelidonia* convenit; minus tamen acre, sed odore papaverino grave est.

*Argemone mexicana* Linn. ex America per regiones tropicas totius orbis propagata est. Herbae (*Cardui flavi* Offic. am.) usus externus inter remedia emollientia, internus inter diaphoretica. Petalorum virtus leniens. Semina acria, et oleum ex seminibus pressum, emetica et purgantia. Lympha recepta a Brasilianis (*Cardo santo* hi plantam nominant) alexiteria creditur, ab Indorum medicis in ophthalmiis adhibetur. Succum in aëre inspissatum in hydropo laudant. *Sanguinaria canadensis* Linn. (*Puccoon*) major apud Boreali-americanos fama est. Radix (*Turmeric*) fere inodora, saporis acris, urentis, amari, masticata salivam colore rubro tingens, Digitalis virtutem aemulare et substantia alcaloidea acri (*Sanguinarina*) foeta creditur. Semina narcotica qualitate ad Stramonium accedere dicuntur. *Meconopseos nepalensis* DC. herbam, imprimis autem radicem, venenatam perhibent.

Nihil de Papaveracearum, quae succo colorato destituuntur, qualitatibus compertum habeo; has virtute ad Fumariaceas propius accedere crediderim.

In Fumariacearum plerarumque partibus herbaceis talis est mucus cum substantiis salinis et acido peculiaris generis (acido Fumarico), etiam in aliis plantis longe dissimilibus obvio, miscela, ut spectata, quam in organismum animale exserunt, virtute, remediis tonico-solventibus accenseantur. In rhizomate bulbiformi nonnullarum substantia alcaloidea (*Corydalina*) et resina acris regnant. *Fumaria officinalis* Linn. (Erdrauch) in cultis, imprimis inter segetes totius fere orbis obvia est, botanicorum memoria per Europam mediam propagata. Herbae sapor amarus est. Virtus solvens, membrana et vasa medicamentosa stimulans. *Corydalis bulbosa* Pers. rhizomate gaudet solido, odoris subaromaticeo, saporis intense amari, modice adstringentis et acris, quod (*radicis Aristolochiae cavae* nomine) inter *Aristolochiae* succedanea ad sollicitandos menses silentes et ad pellendos intestinorum vermes adhibetur. *Corydalis fabacea* Pers. bulbum habet cavum, *Radicis Aristolochiae fabaceae* nomine in officinis admissum. *Dicentra Cucullaria* Bork. Boreali-americanis *Corydalis* loco est. *Corydalis capnoides* Pers., in Europa australi indigenae, herba (*Herba Split* s. *Fumariae luteae*) cum modico amarore admodum acris, stimulans.

## Ordo CLXXXIII. Cruciferae.

*Herbae* annuae v. rarius perennes, interdum suffrutescentes, succo aqueo, *radice* in perennibus saepe napiformi. *Caules* teretes v. angulati, etiam in annuis sub maturitate fructus saepe fruticoso-indurati, ramis axillaribus interdum spinescentibus. *Folia* simplicia, nunc omnia radicalia, nunc caulina, plerumque alterna, rarius inferiora opposita, penninervia, dentata, pinnatifida, lyrata v. varie dissecta, inferiora saepissime petiolata, superiora v. summa sessilia, ut plurimum auriculato-amplexicaulia. *Stipulae* nullae. *Pili* simplices, furcato-ramosi v. stellati. *Flores* perfecti, regulares, in racemis oppositifoliis, manifeste lateralibus v. spurie terminalibus, primum subcorymbosis, demum elongatis, pedicellis nudis v. foliaceo-bracteatis. *Calyx* liber, tetraphyllus, foliolis erectis, conniventibus v. patulis, deciduis, aestivatione imbricatis aut rarius valvatis, duobus lateralibus (fructus valvulis oppositis) paullo demissius insertis, saepe nonnihil latioribus, basi aequalibus v. deorsum gibbis aut nonnunquam calcaratis. *Corollae* petala 4, receptaculo inserta, calycis foliolis alterna, plerumque longiuscule unguiculata, lamina integra v. emarginata, rarius bifida v. rarissime pinnatifida, aequalia aut antica interdum majora, nonnunquam omnia abortiva. *Stamina* 6, receptaculo inserta, duobus ante calycis foliola lateralia paullo demissius insertis, brevioribus, quatuor autem ante petala sitis inter se aequilongis tetradynama. *Filamenta* subulata v. filiformia, simplicia v. longiora dente aucta aut interdum bifurca, libera v. per paria connata. *Antherae* introrsae, biloculares, terminales, longitudinaliter dehiscentes. *Glandulae* in receptaculo inter petala et ad basim foliolorum calycis definita. *Germen* liberum, sessile v. breviter stipitatum, abbreviatum v. elongatum, diphyllum, carpophyllis calycis foliolis lateralibus oppositis, margine trophospermia nerviformia, anticum et posticum, mediante textu celluloso in dissepimentum parallelum coeuntia contingentibus biloculare, nunc septo incompleto v. obliterato uniloculare, v. nonnunquam septis secundariis transversim pluriloculare. *Gemmulae* in germinis bilocularis oculis juxta trophospermia intervalvularia nunc amba, nunc unicum saepissime plures, rarius subdefinitae v. solitariae, pendulae v. horizontales, campylotropae v. amphitropae, in germine uniloculari plerumque gemmula unica, ex apice cavitatis pendula, v. in funiculo e basi loculi adscendente libero nutans. *Stylus* terminalis simplicissimus, trophospermiis coalitis continuus; *stigmatibus* duobus, patentibus v. connatis, trophospermiis oppositis. *Fructus* elongatus (*siliquosus*), v. abbreviatus (*siliculosus*), bilocularis v. septo obliterato unilocularis, nunc bivalvis, valvis a septo membranaceo angusto v. lato, margine trophospermia in stylum terminalem desinentem gerente (*repto*), solutis, v. evalvis, valvis nempe cum

trophospermis pertinaciter cohaerentibus, indehiscentibus, v. transversim plurilocularis, in articulos secedens (*lomentaceus*). *Semina* in loculis plura v. interdum solitaria, horizontalia v. pendula, compressa v. subglobosa, funiculis liberis v. partim septo adnatis, integumento crassiusculo, epidermide membranacea, saepius in marginem v. alam expansa. *Embryo* exalbuminosus, curvatus. *Cotyledones* duae, integrae v. interdum partitae, supra *radiculam* adscendentem v. descendentem pronae, nunc rima commissurali eidem *accumbentes* (0=) et tunc semper planae; nunc dorso eidem *incumbentes* et *planae* (0||) v. juxta longitudinem plicatae, radiculam amplectentes et *conduplicatae* (0>>) dictae, v. spiraliter convolutae (*spirales* 0|||), v. bis transversim plicatae (*biplicitae* s. *bicrures* 0||||||).

**Subordo I. Pleurorrhizae.** *Cotyledones* planae, *radiculae* adscendenti, rimali *accumbentes* (0=).

GENERA.

TRIBUS I. ARABIDAEAE.

4845. *Matthiola* R. Br.  
*Leucoium* Mönch.  
 a. *Pachynotum* DC.  
 b. *Luperia* DC.  
 c. *Pinaria* DC.  
 d. *Acinotum* DC.  
*Triceras Andrzejows.*  
 4846. *Notoceras* R. Br.  
*Diceratium* Ait.  
 4847. *Andrzejowskya Reichenb.*  
*Macroceratium* DC.  
 4848. *Cheiranthus* R. Br.  
*Schellhammeria* Herit.  
*Cheiri* Adans.  
 a. *Cheiri* DC.  
 b. *Cheiroides* DC.  
*Psilostylis* Andrz.  
*Dichroanthus* Webb. et Berth.  
 c. ? *Jodanthus* Torr. et A. Gr.  
 4848<sup>8</sup>. *Clausia* Trotzki.  
 4849. *Oudneya* R. Br.  
 4850. *Nasturtium* R. Br.  
*Sisymbrium* Boerh.  
 a. *Cardaminum* Mönch  
*Sisymbrium* Magnol.  
*Baeumerta* Fl. Wetter.  
 b. *Brachylobos* Allion.  
*Radicula* Dill.  
*Roripa* Scop.  
*Caroli-Gmelina* Fl. Wetter.  
 c. *Clandestinaria* DC.  
 4851. *Barbarea* R. Br.  
 4852. *Streptanthus* Nutt.  
 a. *Eustreptanthus* Endl.  
 b. *Enclisia* Nutt.  
 4853. *Turritis* Dill.  
 4854. *Pachyneurum* Bung.  
 4854. *Arabis* Linn.  
*Abazicarpus* Andrz.

- a. *Pseudarabis* C. A. Mey.  
 b. *Turritella* C. A. Mey.  
 c. *Euarabis* C. A. Mey.  
 d. *Dendroarabis* C. A. Mey.  
 e. *Campylocarpus* C. A. Mey.  
 f. *Cardaminopsis* C. A. Mey.  
 g. *Leptostylis* C. A. Mey.  
 h. *Catalobus* C. A. Mey.  
 4855. *Stevenia* Fisch. et Adam.  
 4856. *Parrya* R. Br.  
 a. *Neurologa* Andrz.  
 b. *Leiospora* C. A. Mey.  
 ? *Ermannia* Cham.  
 4857. *Phoenicautis* Nutt.  
 4858. *Macropodium* R. Br.  
 4859. *Cardamine* Linn.  
 4860. *Pteroneuron* DC.  
 4861. *Dentaria* Tournef.  
 4862. *Leavenworthia* Torr.

TRIBUS II. ALYSSINEAE.

4863. *Lunaria* Linn.  
 4864. *Ricofia* Linn.  
*Scopolia* Adans.  
 4865. *Farsetia* Torr.  
*Alyssum* Adans.  
 a. *Farsetiana* DC.  
 b. *Cyclocarpaea* DC.  
 c. *Fibigia* Medik.  
 4866. *Meniocus* Desv.  
 4867. *Berteroa* DC.  
*Alyssum* Medik.  
*Mönchia* Roth.  
*Stevena* Andrz.  
 4868. *Aubrietia* Adans.  
 4869. *Vesicaria* Lam.  
*Alyssoides* Medik.  
 a. *Vesicariana* DC.  
 b. *Alyssoides* DC.  
 c. ? *Physaria* Nutt.

4870. *Koniga Adans.*  
*Clypeola Neck.*  
*Octadenia R. Br.*  
*Lobularia DC.*
4871. *Schiwreckia Andr.*
4872. *Aurinia Desv.*
4873. *Psilonema C. A. Mey.*
4874. *Alyssum Linn.*  
*Adyseton Scop.*
4875. *Odontarrhena C. A. Mey.*
4876. *Ptilotrichum C. A. Mey.*
4877. *Clypeola Linn.*  
*Fosselinia Scop.*  
*a. Jonthlaspi Tournef.*  
*b. Orium Desv.*  
*c. Bergeretia Desv.*
4878. *Peltaria Linn.*  
*Bohatschia Crantz.*
4879. *Petrocallis R. Br.*  
*Zizia Roth.*
4880. *Draba Linn.*  
*a. Drabella DC.*  
*b. Holarges DC.*  
*c. Leucodraba DC.*  
*d. Chrysodraba DC.*  
*e. Aizopsis DC.*
4881. *Erophila DC.*  
*Gansblum Adans.*
4882. *Cochlearia Linn.*  
*a. Rhizobotrya Tausch.*  
*b. Kerneria Medik.*  
*c. Armoracia Rupp.*  
*Raphanis Mönch.*  
*d. Cochlearia Koch.*  
 \*
4883. *Tetrapoma Turczan.*  
*Tetracellion Turczan.*  
 = **SELENIEAE.**
4884. *Selenia Nutt.*
- TRIBUS III. THLASPIDAE.**
4885. *Thlaspi Dillen.*  
*a. Pachyphragma DC.*  
*Pterolobium Andr.*  
*b. Carpoceras Link.*
- Subordo II. Notorhizae.** *Cotyledones planae, radiculae*  
*exacte dorsali incumbentes (0||).*
- GENERA.**
- TRIBUS VII. SISYMBRIAE.**
4902. *Malcolmia R. Br.*
4903. *Hesperis Linn.*  
*a. Hesperidium DC.*  
*Hesperis Andr.*  
*b. Deilosma Andr.*  
*c. Arabidium C. A. Mey.*  
*d. Plagioloba C. A. Mey.*
4904. *Dontostemon Andr.*  
*Andreoskia DC.*  
*Hesperidopsis DC.*
4905. *Tonguea Endl.*  
*Pachypodium Webb. et Berth.*
- c. Nomisma DC.*  
*d. Neurotropis DC.*  
*e. Pterotropis DC.*
4886. *Teesdalia R. Br.*  
*Guepinia Bart.*  
*Iberis Dillen.*
4887. *Iberis Linn.*  
*Arabis Adans.*  
*Pseudo-Thlaspi Magn.*  
*Thlaspidium Andr.*  
*a. Iberidium DC.*  
*b. Iberidastrium DC.*
4888. *Cynocardamum Webb. et Berth.*
4889. *Biscutella Linn.*  
*a. Jondraba Medik.*  
*b. Thlaspidium Medik.*
4890. *Diastrophis Fisch. et Mey.*
4891. *Megacarpaea DC.*  
 = **CREMOLOBEAE.**
4892. *Cremolobus DC.*
4893. *Menonvillea DC.*
- TRIBUS IV. ANASTATICAE.**
4894. *Morettia DC.*  
*Nectouxia DC.*
4895. *Anastatica Gärtn.*  
*Hierocentis Adans.*
- TRIBUS V. EUCLIDIAE.**
4896. *Euclidium R. Br.*  
*Soria Adans.*  
*Hierochontis Medik.*
4897. *Ochthodium DC.*  
*Bunias Desv.*
4898. *Pugionium Gärtn.*
- TRIBUS VI. CAKILINEAE.**
4899. *Cakile Tournef.*
4900. *Chorispora DC.*  
*Chorispermum R. Br.*  
*a. Aneura Endl.*  
*c. Rhomaliium Endl.*
4901. *Cordylocarpus Desf.*
4906. *Sisymbrium Linn.*  
*Erysimum Tournef.*  
*a. Velarum DC.*  
*Erysimum Link.*  
*Kluckia Andr.*  
*Chamaeplium Wallr.*  
*b. Norta Adans.*  
*c. Psilostylum DC.*  
*d. Ixio DC.*  
*Leptocarpaea DC.*  
*Descurainia Webb. et Berth. p.*  
*e. Descurea Guett.*  
*Sophia Hall.*  
*Hugueninia Reichenb.*  
*f. Kibera Adans.*

- g. *Alliaria Adans.*  
 h. *Arabidopsis DC.*  
   † *Halimolobos Tausch.*  
 4907. *Tropidocarpum Hook.*  
 4908. *Erysimum Linn.*  
   a. *Agonolobus C. A. Mey.*  
   b. *Cuspidaria Link.*  
   c. *Cheiropsis C. A. Mey.*  
     *Cheirinia Link. p.*  
   d. *Erysimastrum C. A. Mey.*  
   e. *Conringia Heist. p.*  
     *Gorinkia Prest.*  
     *Crantzia Lagasc.*  
 4909. *Tetracme Bung.*  
   *Tetraceratum DC.*  
 4910. *Smelowskia C. A. Mey.*  
 4911. *Taphrospermum C. A. Mey.*  
 4912. *Braya Sterb. et Hopp.*  
   \*  
 4913. *Leptaleum DC.*  
   \*  
 4914. *Christolea Camb.*  
   \*  
 4915. *Thelypodium Endl.*  
   *Pachypodium Nutt.*  
 4916. *Stanleya Nutt.*  
   *Podolobus Rafin.*  
 4917. *Warea Nutt.*
- TRIBUS VIII. CAMELINEAE.**  
 4918. *Syrenia Andrz.*  
   *Stylonema DC.*  
 4919. *Camelina Crantz.*  
   *Myagrum DC.*  
   a. *Chamaelinum DC.*  
   b. *Pseudolinum DC.*  
     *Leiolobium DC.*  
 4920. *Stenopetalum R. Br.*  
 4921. *Eudema Humb. et Bonpl.*  
 4922. *Mathewsia Hook.*  
 4923. *Platypetalum R. Br.*  
 4924. *Eutrema R. Br.*  
 4925. *Aphragmus Andrz.*  
   *Orobium Reichenb.*  
   *Oreas Cham.*  
 4926. *Platyspermum Hook.*
- TRIBUS IX. LEPIDINEAE.**  
 4927. *Capsella Vent.*  
   *Marsypocarpus Neck.*  
   *Rodschiedia Gürtn.*  
   *Bursa Gaert.*  
   *Bursa pastoris Tournef.*  
   *Hymenolobus Nutt.*  
 4928. *Ionopsisium Reichenb.*
- Subordo III. Orthoploceae.** *Cotyledones incumben-*  
*tes, longitudinaliter plicatae, radiculam dorsalem in plicatura fovean-*  
*tes (0 >>).*
- TRIBUS XII. BRASSICEAE.**  
 4948. *Sinapidendron Lowe.*  
   *Disaccium DC.*
4929. *Bivonaea DC.*  
 4930. *Eunomia DC.*  
 4931. *Hutchinsia R. Br.*  
   *Noccaea Reichenb.*  
   *Nasturtium Gray.*  
 4932. *Lepidium R. Br.*  
   *Kandis Adans.*  
   a. *Cardaria Desv.*  
     *Cardiolepis Wallr.*  
     *Jundzillia Andrz.*  
   b. *Ellipsaria DC.*  
   c. *Bradypiptum DC.*  
   d. *Cardamon DC.*  
     *Nasturtium Boerh.*  
   e. *Lepia Desv.*  
     *Lasioptera Andrz.*  
   f. *Dileptium Raf.*  
     *Nasturtioides Meitk.*  
     *Senckenbergia Fl. Wetter.*  
   g. *Lepidiastrum DC.*  
 4933. *Hymenophysa C. A. Mey.*  
 4934. *Aethionema R. Br.*  
   \*  
 4935. *Hexaptera Hook.*  
   † *Dispeptophorus Lehm.*
- TRIBUS X. ISATIDEAE.**  
 4936. *Dipterygium Decaisn.*  
   *Pteroloma Steud. et Hochst.*  
   *Mey.*  
 4937. *Tetrapterygium Fisch. et Mey.*  
 4938. *Isatis Linn.*  
   a. *Glastum DC.*  
   b. *Sameraria Desv.*  
 4939. *Tauscheria Fisch.*  
 4940. *Thysanocarpus Hook.*  
 4941. *Sobolewskia Bieberst.*  
   *Macrosporum DC.*  
 4942. *Neslia Desv.*  
   *Vogelia Med.*  
   *Rapistrum Hall.*  
   3. *Myagrum Tournef.*  
     *Bricour Adans.*  
     *Deltocarpus Herit.*  
     *Sinistrophorum Schrank.*  
 4943. *Traillia Lindl.*
- TRIBUS XI. ANCHONIEAE.**  
 4944. *Goldbachia DC.*  
 4945. *Anchonium DC.*  
 4946. *Sterigma DC.*  
   *Sterigmostemon Bieberst.*  
   *Arthrolobus Stev.*  
 4947. *Morisia Gay.*
- GENERA.**  
 4949. *Brassica Linn.*  
   *Brassica Tournef.*  
   *Rapa Tournef.*  
   *Napus Tournef.*

- a.* Brassica *Link.*  
*b.* Brassicastrum *Link.*  
 4950. Sinapis *Tournef.*  
*a.* Melanosinapis *DC.*  
*b.* Ceratosinapis *DC.*  
     Sinapistrum *Reichenb.*  
*c.* Leucosinapis *DC.*  
     Rhamphospermum *Andrz.*  
     Bonnania *Presl.*  
*d.* Hirschfeldia *Mönch.*  
 4951. Douepea *Cambess.*  
 4952. Erucastrum *Presl.*  
*a.* Erucastrum *Presl.*  
*b.* Micropodium *DC.*  
     Güntheria *Andrz.*  
 4953. Orychophragmus *Bung.*  
 4954. Moricandia *DC.*  
 4955. Diplotaxis *DC.*  
*a.* Catoctarpum *DC.*  
*b.* Anocarpum *DC.*  
 4956. Eruca *Tournef.*  
     Euzomum *Link.*
- TRIBUS XIII. YELLEAE.**
4957. Vella *DC.*  
 4958. Boleum *Desv.*  
 4959. Carrichera *DC.*  
 4960. Succowia *Medik.*  
     \*  
 4961. Savignya *DC.*
- Subordo IV. Spirolobeae.** *Cotyledones lineares, incumbentes, circinatim convolutae* (0 |||).
- GENERA.**
- TRIBUS XVII. BUNIADEAE.**  
 4973. Bunias *R. Br.*  
*a.* Erucago *DC.*  
     Bunias *Hall.*  
*b.* Laelia *Adans.*  
     Bunias *Mönch.*
- TRIBUS XVIII. ERUCARIEAE.**
4974. Erucaria *Gärtn.*  
*a.* Agriogongyle *Endl.*  
*b.* Eremogongyle *Endl.*
- Subordo V. Diplecolobae.** *Cotyledones lineares, incumbentes, his transversim plicatae* (0 ||| |||).
- GENERA.**
- TRIBUS XIX. SENEBIERIEAE.**  
 4975. Senebiera *Poir.*  
*a.* Nasturtium *Medik.*  
     Senebiera *DC.*  
*b.* Carara *Medik.*  
     Coronopus *Hall. DC.*  
*c.* Cotylisens *Desv.*  
 4976. Brachycarpaea *DC.*
- TRIBUS XX. SUBULARIEAE.**
4977. Subularia *DC.*  
     Consana *Adans.*
- TRIBUS XXI. HELIOPHILEAE.**
4978. Heliophila *N. Burm.*  
     Trentepohlia *Roth.*  
*a.* Carponema *DC.*  
*b.* Leptormus *DC.*
- c.* Ormiscus *DC.*  
*d.* Selenocarpaea *DC.*  
*e.* Orthoselis *DC.*  
     Heliophila *Eckl. et Zeyh.*  
*f.* Pachystylum *DC.*  
*g.* Lanceolaria *DC.*  
*h.* Carpopodium *DC.*  
 4979. Chamira *Thunb.*
- SCHIZOPETALEAE.**
4980. Schizopetalon *Hook.*
- Genera dubia.**
4981. Redowskia *Cham. et Schl.*  
 4982. Schimperia *Stend. et Hochst.*  
 — Discovium *Raf.*

**Affinitas.** Ordo summe naturalis, distinctissimus et facillime definiendus, hinc Papaveraceis, illinc Capparideis proxime affinis, ab illis seminibus exalbuminosis, ab his integumentorum floralium conformatione et fructus fabrica diversus; ab utrisque definito staminum numero, calycis et corollae elementis incongruo, et fructu biloculari, carpophyllis cum trophospermis intervalvularibus, dissepimentum constituentibus, valvatum connatis differt.

**Geographia.** Cruciferae per omnem terrarum orbem dispersae sunt, ita ut maximus illarum numerus in hemisphaerae borealis plaga temperata, imprimis veteris orbis nascatur, versus polum aliquantulum rarescant, rarissimae inter tropicos nascantur, temperiem in calidis quaerentes potissimum monticolae, novaque exsurgat trans capricornum caterva, multo tamen minus quam cis cancerum populosa. Per singulas tribus naturales vasti ordinis dispicientes *Arabidae* revera cosmopolitae sunt, *Alyssinae* late per hemisphaeram borealem dispersae habitant, in regione mediterranea et florum rossicae territorio imprimis copiosae. In Europa media imprimis occidentali rarescunt, vel summas petunt alpes et nivis aeternae terminos, sed in immensum crescit versus polum Drabarum nitidissima caterva, oceani glacialis et alpium utriusque orbis parvula custos. *Thlaspidiae* in hemisphaera boreali frequentes, etiam in America australi extratropica reperiuntur. *Cremolobae* his proxime accedentes in Peruvia et Chili nascuntur. *Anastiticae* Asiam et Africam mediterraneam, *Euchlidiae* Orientem, *Cakilineae* regiones temperatas hemisphaerae borealis incolunt, frequentius tamen in Asia media obviae sunt. Idem de *Sisymbrieis* valet, quae ut per omnem orbem extratropici plagam borealem repertae, copiosius tamen in Europa orientali et mediterranea, nec non in Asia rossica reperiuntur. *Camelineae* Europae mediae, alpium Asiae mediae et arcticae, Americae borealis, Andium peruavorum et chilensium, nec non Novae-Hollandiae austro-occidentalis cives sunt. *Lepidineae*, quamvis per totum terrarum orbem, si florum indicae ditionem excipias, sint dispersae, tamen ob majorem numerum, quo in Syria, Armenia, Persiaque gignuntur, orientales per eminentiam dicenda sunt. Pauciores species regionem mediterraneam et Europam mediam atque borealem inhabitant, harum nonnullae etiam per omnem Americam diffusae sunt. America australis sua sibi genera, ut plurimum frutescentia, vindicat. Quae in regione capensis, in Oceani australis insulis et in Nova Hollandia nascuntur, ab europaeis genere non recedunt. Notanda etiam regionis taurico-caucasicae, Cruciferarum alias feracissimae, Lepidinearum paupertas. Caeterum pleraeque species endemicae, paucissimae per Europam et Americam borealem vagae. Capsellam per orbem terrarum disseminavit inquietum mortalium commercium. *Isatidae* omnes cis cancerum indigenae sunt, in Asia media et regione mediterranea copiosius crescentes. *Anchonicae* in Oriente et Asia media crescunt. *Brassicae* in regione mediterranea, in Canariis, India boreali, paucae in Europa media, paucissimae in America australi sponte crescunt. *Velleae*, *Zilleae* et *Psychinae* extra regionem mediterraneam nondum observatae fuerunt; ex his *Psychinae* solam Africae oram borealem tenent. *Raphanae* latissime per orbem dispersae sunt. *Buniadeae*, *Erucae* et *Subulariae* Europam orientalem et Asiam mediam incolunt. *Senebierae* in Europa media, in Capite bonae spei et inter tropicos totius orbis obviamus habemus. *Heliophilae* mere capenses sunt. *Schizopetalum*, genus chilense, petalis pinnatifidis, et cotyledonibus quatuor, singillatim subspiraliter involutis singulare est.

**Qualitates et usus.** Acredini volatili, per omnes partes dispersae, et saepe sulphuri nuptae, Cruciferae plantae saporem debent mordacem, atque odorem, ubi teruntur, peculiarem, dum putruerint graviter ammoniacalem. Accedit in plurimis amari aliquid et salsi, nec non oleum pingue, in seminibus imprimis elaboratum, nativam etiam acredinem, quae in quibusdam indomita in his partibus regnat, in nonnullis vincens. Annuarum herba valet, perennium virtus in radice vehementior est. Quaedam, quibus herba fere iners, semina proferunt admodum acra. Multae cultura miscentur, aucta sacchari et

muci copia. Paucissimarum radix substantia caeruleo-tingente foeta est. Flores quarundam ob odorem, quem imprimis adversperascente die exhalant, suavem mortalibus grati. Usus inter medicinas antiscorbuticas et stimulantibus, quae ventriculi, tractus intestinalis, membranarum mucosarum et cutis externae renunquam vitam intendunt, antiquissimus et in vulgus notus est. Nec minor herbae et radicis plurimarum, crudae et coctae, inter olera et in acetariis, seminum etiam inter ciborum condimenta laus est. Quaedam inter plantas oleiferas seruntur, paucarum cultura ob radicem tinctoriam exercetur.

*Cochleariae officinalis* Linn. (vulgo Löffelkraut), Europae septemtrionalis littora accolentis, etiam juxta salsos continentis lacus obviae, maxima inter herbas antiscorbuticas laus est. Congeneres plantae in Alpibus Europae, in regione mediterranea, in Asia et America boreali crescentes, inter stirpis officinalis succedanea numerantur. Proxima a *Cochlearia Lepidium sativo* Linn. (*καρόδαρον*, Kresse, Nasturtium hortense Offic.) et *Nasturtio officinali* Linn. (*κωσσυβήριον*, *καράβινη*, Brunnenkresse, Crescione, Nasturtium aquaticum Offic.) virtus est, utraque frequentissimi etiam in acetariis usus. *Lepidium oleraceum* Forst. in Novae Zeelandiae littoribus arenosis nascitur, quotidianum nautarum in his portibus commorantium olus, inter nutrimenta antiscorbutica nunquam satis laudandum, saporis blandi, paullo acris, ad Spinaciae v. Lactucae saporem accedentis, paullo flatulentum, alvum modice aperiens. *Lepidium piscidium* Forst. in Oceani insulis demersis intertropicis nascitur. Incolae seminibus ad inebriandos et capiendos pisces utuntur. Herba acerrima sine noxa in acetariis editur. *Nasturtium indicum* DC. maximi fit in edulis; Nigritiae suam speciem, *Nasturtium humifusum* Guill. et Perrot., habent. *Nasturtium palustre* DC. (Radix Raphani aquatici Offic.) et *Nasturtium sylvestre* R. Br. (Herba Erucae palustris Offic.), plantae latissime per hemisphaerae borealis plagam temperatam et frigidam diffusae, exoleti inter medicinas usus sunt. *Cardamine amara* Linn. (Nasturtium majus amarum Offic.) et *Cardamine pratensis* Linn. (Nasturtium pratense v. Cardamine Offic.) Nasturtii virtutem, accedente amaritudine, nervis amica, aemulantur. *Cardamine asarifolia* Linn. Pedemontanis Cochleariae, *Cardamine nasturtioides* Bert. Chilensis Nasturtii loco est. *Senebiera Coronopus* Poir. (Nasturtium verrucosum Offic.) et *Cakile maritima* Scop. (Eruca maritima s. Raphanus marinus Offic.) dudum a medicis sepositae sunt. *Cakile americana* Nutt. in America boreali et Antillis remedii antiscorbutici laude adhucdum floret. Inter Cruciferas exoletas etiam *Sisymbrium officinarum* Linn. (quod Galli teste Plinio velarum appellant, Herbe aux chantres, quia raucedinem tollit, Hederich), *Sisymbrium Alliaria* Scop., *Sisymbrium Sophia* Linn. et *Barbarea vulgaris* Linn. nominandae.

*Cochleariae Armoraciae* Linn. (Kren, Meerrettig, Raifort), plantae in aquis Europae non ubique obviae, sed passim in hortis satae, generosissima radix. Sapor mordax in proverbio est, et odor lacrymas proliciter. Virtus ex oleo aethereo acris, sulphure impraegnato imprimis repetenda, quod cum albumine, saccharo, gummi, resina, acido et kali acetico mixtum est. Usus in cibariis et inter medicinas, sive ventriculo varia praeparatione ingesta, sive cuti imposita, notus est. *Raphanus sativus* Linn. secundum inter Cruciferas radice utiles locum tenet. Planta in extrema Asia sponte nascitur, ab antiquissimis temporibus in hortis culta. Multa inde varietas, ad duplicem typum referenda. *Raphani sativi nigri* (schwarzer Rettig) radix acris, sale v. aceto condita editur; difficillimae concoctionis, etiam medicamenti loco interdum adhibita. *Raphani sativi Radiculae* (Radieschen) radicem, acridinis plus minus expertem et gustui gratam, delicatioribus etiam cupidibus adnumeramus. Tertia *Raphani sativi* forma (*R. sativus chinensis* L.) radice praegracili inutilis est, seminibus oleosis commendatur.

*Brassicae* ab antiquissimis temporibus in hortis et agris seruntur, in numero formarum lusu, radice saccharata s. subamara, pulsa plus minus acridine, herba sapida et seminibus oleosis utiles. *Brassicae Rapae* Linn. radix (weisse Rübe, Wasserrübe, Turnep) carnosa, acriuscula et subdulcis, multis

formis indit. Oleiferae duplex varietas; altera post messem seritur, sequenti aestate metenda, alteram (Br. praecocem Waldst. et Kit.) vere terrae committunt et aestate maturam habent. *Brassicae Napus* Linn. radix (*Steckrübe*, *Navette*) delicatior est; plantae oleiferae vere (*Sommerreps*) v. aestate (*Winterreps*) satae maximus usus. *Brassicae oleraceae* Linn., herba plurimis formis ludit. Ex his primariae etiam hoc loco memorandae. *Brassica oleracea capitata* (Kopfkohl, Kraut, Chou pommé) foliis concavis circa caulem abbreviatum ante florescentiam in capitulum magnum dense congestis frequentissimi usus est, et vulgaris notitiae. *Brassica oleracea viridis* (Winterkohl et Blattkohl) et *sabauda* s. *bullata* (Wirsing, Welschkohl) delicatiores sunt. *Caulorapa s. gongyloides* (Kohlrübe, Kohlrabi, Chou-rave) caule ad originem foliorem tumido sapidoque commendatur. *Brassicae oleraceae botrytitis cauliflorae* racemi corymbosi, ante florescentiam carnosius, dense conferti (Cavolo fiore, Karfiol, Blumenkohl, Chou fleur) in deliciis sunt. *Brassica asparagoides* (vulgo Broccoli) hujus varietas est, ramulis apice carnosius, alabastra minima gerentibus.

*Crambe maritima* Linn., secus oceanum atlanticum, rarius in ora mediterranea et juxta Pontum euxinum crescens, rarioris inter olera usus est. Caulis s. turiones vere et collo nascentes, ope vasculi cylindrici, apice perforati a solis lumine defensi, albi, carnosius et edules evadunt, forma asparagos, sapore Brassicas caulifloras aemulantes, imprimis apud Anglos inter olera vernalia cocti. *Crambe Tataria* Jacq., in Tauria et in sabulosis Hungariae et Moraviae campis, radice magna nititur. Hungaris „*panis tataricus*“ (Tatar-Kenyér) radix dicitur, et decorticata atque in lamellas tenues discissa cum oleo, aceto et sale condita v. etiam cocta editur.

*Sinapis nigrae* Linn. (Senf, Moestrich, Moutarde), in agris et arvis Europae fere totius crescentis, semina acerrima sunt. Oleum pingue ex his exprimitur, aethereum distillatione obtinetur, e substantiae crystallinae peculiaris (*Sinapisinae*) et emulsinae, cum sulphure junctae connubio. In farinam contrita in cataplasma rubefaciens rediguntur, v. cum vino, musto aut aceto parata condimenti loco adhibentur. *Sinapis albae* Linn. semina principio aeri, diversae ut videtur a *Sinapisinae* naturae, foeta sunt. Apud Indos *Sinapis chinensis* Linn. semina usui sunt. *Raphanistri arvensis* (Rapistri offic.), *Erucae sativae* Linn., *Thlaspeos arvensis* Linn., *Iberidis umbellatae* Linn. (*Thlaspeos creticae* offic.), etiam *Lunariae redivivae* Linn. (*Viola Lunariae* v. *Lunariae graecae*) semina olim ob acredinem stimuli salutaris causa a medicis adhibita. *Raphanistri* semina a quibusdam morbi, Secali cornuto potius tribuendi (*Raphaniae*, rectius *Ergotisme* dicendi) causa habiti, omnino innocua videntur. *Raphani caudati* Linn. siliquae conditae (vulgo *Mougri*) a Javanis comeduntur. *Raphani Landra* Morett., folia radicalia cum oleo praeparata in Insubria pauperibus cibo sunt. *Camelinae sativae* Crantz, hinc inde etiam in agris cultae, semina (*Semina Sesami vulgaris* s. *Camelinae*, *Leindotter*) ob olei pinguis copiam commendantur.

*Isatis tinctoria* Linn. (Glastum, Waid, Pastel, Guado) in Europa australi indigena, ob radicem caeruleo-tinctoriā colitur, herba hodie a medicis seposita.

*Cheiranthus Cheiri* Linn. (Goldlack), *Matthiola incana* R. Br. (Winter-Leukoje), *Matthiola annua* Sweet. (Sommer-Leukoje) aliaeque his similes inter plantas, passim in hortulis et camerarum fenestris cultas, per omnem Europam vulgatissimae sunt. *Hesperis matronalis* Linn. (*Viola matronalis* v. *dammascena* offic.) maximae inter hortenses laudis est. Florum odor per diem nullus, noctu suavissimus est.

*Anastatica hierochuntica* Linn. (vulgo *Rosa hierochuntica*) in arenosis Aegypti, Syriae et Arabiae vulgaris nascitur. Herba annua, e collo ramosa, ramis juventute expansis, per aetatem lignoso induratis, erectis et apicibus introflexis in globum cancellatim contractis singularis, a ventis cum radice ex arena avulsa, per deserta ad mare usque devolvitur. Humectata siliculas aperit,

ramos ramulosque expandit, siccitate rursus contrahendos. Haec se die nati-  
vitatibus Christi aperire, domique inter sacra leipsana pie servatam dominae  
partus horam indicare, vetus fama est. A circulatoribus multo aere emtam  
mulieres protofocae matronaeque repetitis partibus exhaustae inter laborem  
creducae retinent, difficilis horae dolorem superstitione vincentes.

### Ordo CLXXXIV. Capparideae.

*Herbae* annuae aut rarius perennes, saepe *frutices*, interdum *arbores*, succo aqueo. *Caulis* ramique plerumque teretes. *Folia* alterna aut rarissime opposita, petiolata, simplicia v. palmatim composita, foliolis integerrimis v. dentatis. *Stipulae* nunc nullae, nunc herbaceae, cauli adpressae, inconspicuae, v. spinescentes. *Flores* perfecti aut rarius abortu imperfecti, regulares aut interdum subirregulares, solitarii v. racemosi. *Calyx* saepissime tetraphyllus, foliolis distinctis v. plus minus inter se connatis, aestivatione imbricatis, rarius valvatis, nonnunquam diphyllus v. bifidus, quandoque clausus, circumscisse dehiscens, rarissime octophyllus, saepe intus lacinulis v. corona petaloidea auctus. *Torus* varius, nunc carnosus, hemisphaericus v. subglobosus, nunc stipitiformis, longitudine varius, basi saepe in glandulam nectariferam, varie effiguratam tumens, v. ex stipite appendicem tubulosam exserens, quasi bipartitus, crure altero sterili, altero genitalia gerente. *Corollae* petala quatuor aut rarissime octo, saepius nulla, dum adsunt imo tori margini inserta, calycis foliolis alterna, saepissime unguiculata, plerumque inaequalia, aestivatione imbricatum convoluta v. aperta, nec se invicem nec stamina tegentia. *Stamina* in calyce et corolla tetramera saepissime sex, rarius octo, saepe numero senario v. octonario multipla, quandoque indefinite plurima, toro hemisphaerico v. subgloboso margine aut undique inserta, v. tori stipitiformis apici aequali aut interdum dilatato imposita. *Filamenta* filiformia aut nonnunquam apice clavata, aequalia v. inaequalia, libera aut interdum basi plus minus connata, in alabastro plerumque inflexa, omnia fertilia v. nonnulla ananthera. *Antherae* introrsae, biloculares, oblongae v. ovatae, erectae v. incumbentes, longitudinaliter dehiscentes. *Germen* sessile v. saepius supra torum pedicellatum, pedicello plus minus longo, uniloculare, trophospermiis intervalvularibus nunc geminis oppositis, nunc pluribus, plerumque quatuor, quinque v. octo, vix tribus, septo nullo, aut rarissime trophospermiis productioribus ad axim confluentibus pseudo-biloculare. *Gemmulae* juxta trophospermia uni-multiseriatae, multae v. plurimae, amphitropae v. campylotropae. *Stylus* terminalis, subulatus v. filiformis, saepe subnullus; *stigma* indivisum, obtusum v. acutum, plerumque sessile, orbiculatum. *Fructus* unilocularis, nunc *capsularis*, bivalvis, valvis a repleto seminifero, persistente, apice stylo v. stigmate juncto solutis, deciduis, nunc *baccatus*, carnosus

v. siccus, coriaceus s. crustaceus. *Semina* plurima v. pauca, rarissime solitaria, repleta in capsularibus appensa, in baccatis plerumque in pulpa nidulante, plus minus reniformia, integumento exteriori membranaceo, coriaceo aut saepissime crustaceo, plerumque aspero, interiore tumido, hilo intra sinum sito v. crus cotyledonare terminante. *Embryo* exalbuminosus, homotropus, arcuatus v. conduplicatus, cotyledonibus incumbibus, planis v. convolutis, radícula tereti, brevi v. longa.

**TRIBUS I. CLEOMEAE. Fructus capsularis.**

GENERA.

- |                         |                                  |
|-------------------------|----------------------------------|
| 4983. Cleomella DC.     | 4986. Dactylaena Schrad.         |
| 4984. Gynandropsis DC.  | 4987. Physostemon Mart. et Zucc. |
| a. Gymnogonia R. Br.    | 4988. Polanisia Raf.             |
| b. Eugynandropsis Endl. | a. Corynandra Schrad.            |
| 4985. Cleome DC.        | b. Ranmanissa Endl.              |
| Sinapistrum Mönch.      | c. Eupolanisia Endl.             |
| a. Pedicellaria DC.     | 4989. Cyrbasium Endl.            |
| Atalanta Nutt.          | Cristatella Nutt.                |
| Peritoma DC.            | 4990. Isomeris Nutt.             |
| b. Siliquaria Forsk.    |                                  |
| Roridula Forsk.         |                                  |
| Rorida Röm. et Schult.  |                                  |

**TRIBUS II. CAPPAREAE. Fructus baccatus.**

GENERA.

- |                             |                            |
|-----------------------------|----------------------------|
| 4991. Schepperia Neck.      | e. Breyniastrum DC.        |
| Macromerum Burch.           | Breynia Plum.              |
| 4992. Atamisquea Miers.     | 5001. Busbeckea Endl.      |
| 4993. Cadaba Forsk.         | 5002. Morisonia Plum.      |
| Stromia Vahl.               | 5003. Crataeva Linn.       |
| a. Encadaba Endl.           | Othrys Noronh.             |
| b. Desmocarpos Wall.        | 5004. Ritchiea R. Br.      |
| 4994. Thylachium Lour.      | 5005. Steriphoma Spreng.   |
| 4995. Niebuhria DC.         | Römeria Tratt.             |
| 4996. Boscia Lam.           | Stephania Willd.           |
| Podoria Pers.               | *                          |
| 4997. Streblocarpus Arnott. | 5006. Tovaria Ruiz et Pav. |
| 4998. Maerva Forsk.         |                            |
| 4999. Colicodendron Mart.   | Genera dubia.              |
| Calanthea DC.               | 5007. Singana Aubl.        |
| !Quadrella DC.              | Sterebeckia Schreb.        |
| 5000. Capparis Linn.        | 5008. Hermupoa Löffl.      |
| a. Sodada Forsk.            |                            |
| Homback Adans.              | Genus affine.              |
| Lindackera Sieb.            | 5009. Roydsia Roxb.        |
| b. Eucapparis DC.           |                            |
| c. Capparidastrum DC.       |                            |
| d. Cynophalla DC.           |                            |

**Affinitas.** Ordo Cruciferis proximus, staminibus indefinitis v. saltem nunquam tetradynamis, germine saepissime pedicellato, uniloculari, trophospermiorum numero in quibusdam aucto, et habitu diversus. Inde ad Passifloreas Bixaceasque accedere videntur, a quibus seminibus exalbuminosis tamen longius distant.

**Geographia.** Capparideae in regionibus tropicis subtropicisque totius orbis obviae, maximo numero in Americae et Africae plaga calida generantur. Nonnullae in Europa mediterranea, quaedam in America boreali

vivant. Paulo major specierum trans capricornum, quam cis cancerum nascentium numerus. Genus admodum singulare, adhucdum indescritum, in archipelago Macquarie (54—55° L. A.) vivit.

**Qualitates et usus.** Capparideae herbaceae capsulares Cruciferae virtutem, ex acredine volatili pendentem, omnino aemulantur. Baccatae, ut plurimum frutescentes v. arboreae, acredinem in radice, foliis partibusque herbaceis reliquis retinent, accedente in cortice amaritie, dum fructus plurimarum grato sapore commendantur. Nonnullae odore, plerumque inamoeno, excellunt. Quasdam venenatas perhibent, dubiae omnino indolis.

*Cleome gigantea* Linn. vulgaris inter rubefacientia apud Americae tropicae incolas usus est. *Gynandropsis pentaphylla* DC., inter tropicos totius orbis obvia, herba virtutem Cochleariae et Lepidii, seminibus oleiferis Sinapis acridinem aemulatur. Idem de *Gynandropsi triphylla* DC., in America calidiorie crescente, valet. *Polanisia incosandra* Wight et Arn. et *Polanisia fellina* DC., in India indigenae, epispasticum et medicinam anthelminthicam largiuntur. Recentis herbae succum cibis condimenti loco addunt.

*Cleome heptaphylla* Linn. et *Cleome polygama* Linn., herbae americanae, odore balsameo donatae, remediis vulnerariis et stomachicis adnumerantur. *Polanisiam graveolentem* Raf., in America boreali indigenam, foetore infamem, Chenopodii anthelminthici virtutem aemulari perhibent.

Inter bacciferas *Capparis spinosa* Linn. prae reliquis memoranda, fructus spinis stipularibus horridus, in rupibus et maceris regionis mediterraneae, imprimis in Graecia obvius. Cortex radiceis cum amaritudine acris adstringens, ex antiquissimis temporibus ob virtutem aperientem et diureticam a medicis adhibetur. Florum alabastra sale et aceto condita condiendis cibis inserviunt, multoque circumvehuntur commercio. *Capparis rupestris* Sibth. in Graecia, *Capparis Fontanesii* DC. in Barbaria, et *Capparis aegyptiaca* Lam. in Aegypto crescentes, eundem usum admittunt. *Capparis cynophallophora* Linn., *Capparis amygdalina* Lam. et *Capparis ferruginea* Linn., in America tropica crescentes, radiceis corticem acrem medicis largiuntur. *Capparis Sodada* R. Br. (Hombak) in Aegypto et Africa tropica crescit, fructicis odorem narcoticum perhibent. Fructus acridulos stimulantem nigrae mulieres ad conciliandam secunditatem comedunt. *Capparis frondosae* Jacq. semina, *Capparis pulcherrimae* Jacq. baccae ab Americanis venenatae creduntur. *Cadabae indicae* Lam. folia et radix in Asia tropica remedii aperientis et anthelminthici laude gaudent. *Crataevae Tapia* Linn. et *Crataevae gynandrae* Linn., arborum americanarum, cortex e trunco detractus amarus et adstringens febrifugus putatur. Radix acris est. Fructus Allii odore graves comeduntur. Inter asiaticas *Crataeva Nurvala* Ham. baccis succosis, vinosis commendatur. Folia acidula urinam movent. *Crataevae religiosae* Forst. (Purataruru), apud Taitenses in coemeteriis cultae et numinibus sacratae, fructus minus sapidus.

### Ordo CLXXXV. Resedaceae.

*Herbae* annuae v. perennes, interdum *suffrutescentes*, rarius *frutices*, succo aqueo, caule ramisque teretiuseculis. *Folia* sparsa, simplicia, integra, trifida v. pinnatipartita. *Stipulae* minutae, glanduliformes. *Flores* perfecti v. abortu imperfecti, plus minus irregulares, racemosi v. spicati, unibracteati. *Calyx* persistens, quadri-septempartitus, inaequalis v. subaequalis, herbaceus, laciniis aestivatione subimbricatis. *Corollae* petala quatuor ad septem, rarissime duo v. nulla, hypogyna, calycis laciniis alterna, tri-multifida, plus minus inaequalia, postica majora, nunc omnia, nunc nonnisi majora supra basim dilatatam concavam sinuato-

constricta, laminam dorsalem exserentia, aestivatione aperta, decidua. *Discus* e receptaculo inter petala et stamina carnosus, urceolaris, limbo postice producto, integro v. lobato, rarissime nullus. *Stamina* 3—40, disco intus inserta, aestivatione a petalis haud tecta; *filamentis* filiformibus v. subulatis, liberis aut basi monadelphis, *antheris* introrsis, bilocularibus, terminalibus, longitudinaliter dehiscentibus. *Germen* sessile v. stipiti plus minus longo, apice aequali v. pulvinato-dilatato impositum, uniloculare apice hians. *Carpophylla* 3—6, cum trophospermis totidem intervalvaribus, utroque margine gemmulas plurimas gerentibus, valvatum v. basi induplicatim connata, nunc supra trophospermia, in corpus centrale liberum, gemmulis plurimis onustum coeuntia, conniventia, rarissime apice concellata, basi hiantia, uni-bigenmulata. *Gemmulae* amphitropae v. campylotropae. *Styli* in carpophyllorum apicibus breves, cuspidiformes, apice brevissime bilobo stigmatosi, cum trophospermiorum apicibus, nonnunquam in lobulos breves, supra germinis verticem apertum conniventes productis, alternantes. *Fructus* capsularis, membranaceus, vertice origetenus hians, indehiscens, rarissime baccatus, clausus, trophospermis intervalvaribus, rarius apocarpus, carpophyllis vacuis circa trophospermium centrale conniventibus, v. cucullatis, monospermis, inferne rima apertis. *Semina* reniformia v. hippocrepica, epidermide membranacea, hyalina, solubili v. integumento exteriori crustaceo arcte adnata, interiori carnoso. *Embryo* exalbuminosus, homotrope arcuatus v. complicatus; *cotyledonibus* incumbentibus, *radicula* teretiuscula brevioribus v. longioribus.

GENERA.

5010. *Ochradenus* Delil.

5011. *Reseda* Linn.

a. *Luteola* Tournef.

b. *Reseda* Tournef.

Eresda Spach.

5012. *Oligomeris* Cambess.

*Resedella* Webb. et Berth.

*Ellimia* Nutt.

5013. *Astrocarpus* Neck.

*Sesamoides* Tournef.

*Sesamella* Reichenb.

5014. *Caylusea* St. Hil.

**Affinitas.** Diu multumque de Resedacearum affinitate a botanicis disputatum est, hodie ordinem arcte Capparideis esse affinem plerique consentiunt. Etiam ad Papaveraceas multis notis accedit, seminibus exalbuminosis abunde distinctus.

**Geographia.** Resedacearum maximus numerus in regione mediterranea, imprimis in Africae ora gignitur, paucae in Europa media et boreali crescunt. Nonnullae latissime per regiones extratropicas diffusae, in India boreali, insulis Canariis, in Capite bonae spei et in California observatae fuerunt.

**Qualitates et usus.** Resedae, a viribus quae morbos resedant veteribus dietae, exiguae sunt virtutis, radice acri indubiam cum Cruciferis et Capparideis affinitatem prodentes, herba insigni amaritie et principii flavo-tinctantis (*Luteolinae*) praesentia, sui juris. *Resedae Luteolae* Linn. (*Wau*, *Luteolae* Offic.) et *Resedae luteae* Linn. (*Resedae* Offic.) radix acris, Raphanum redolens, olim ob virtutem aperientem, sudorificam et diureticam inter

medicinas admissa. Luteolae herba intense amara, majoris in arte tinctoria nominis. *Reseda odorata* Linn. florum odore mire suavi commendatur. Herba in Aegypto spontanea, hodie inter plantas homini maxime familiares numeratur.

### Ordo CLXXXVI. Datisceae.

*Herbae* annuae, *foliis* alternis, impari-pinnatis v. trisectis, foliolis v. laciniis serratis, glabris, rarius *arbores* procerae, ramis nudis, foliis serotinis, alternis, interdum lobatis, grosse et inaequaliter dentatis, subtus tomentosus. *Stipulae* nullae. *Flores* paniculati v. spicato-racemosi, virescentes, inconspicui, dioici v. rarissime perfecti. *Floribus staminigeris*: *Calyx* quadrifidus v. quinquepartitus, patens. *Corolla* nulla. *Stamina* in flore tetramero quatuor calycis laciniis opposita et basi adnata, in flore pentamero circiter quindecim in centro tori depressi congesta, *flamentis* brevissimis v. demum elongatis, *antheris* bicularibus, longitudinaliter dehiscentibus. *Germinis* rudimentum nullum v. discus obsoletus, tetragonus. *Floribus perfectis* et  *pistilligeris*: *Calyx* tubo tri-tetra-pentagono, cum germine connato, limbo supero, minute tri-quinquedentato. *Corolla* nulla. *Stamina* in perfectis summo calycis limbo inserta, ejusdem dentibus alterna, *antheris* extrorsis, longitudinaliter dehiscentibus. *Germen* inferum, uniloculare, apice hians v. rarissime clausum, e carpophyllis tot quot lacinae calycis, cum iisdem alternantibus, valvatum connatis compositum. *Trophospermia* in nervo medio carpophyllorum, linearia, prope apicem bifurcata, cruribus divaricatis, sterilibus. *Gemmulae* plurimae, bi-pluriseriatae, horizontales v. adscendentes. *Styli* suturales, in quovis carpophyllo gemini, trophospermiorum cruribus continui, contigui vicinorum carpophyllorum basi approximati v. connati, unicum indivisum v. bipartitum, calycis dentibus oppositum, trophospermis alternum referentes. *Capsula* membranacea, calycis limbo stylisque coronata, unilocularis, apice origetenus hians v. breviter trivalvis. *Semina* in trophospermis parietalibus prominulis plurima, horizontalia v. adscendentia, oblongo-teretiuscula, *integumento* membranaceo, longitudinaliter striato, impresso-punctato, hilo strophiola membranacea, cupuliformi. *Embryo* in axi albuminis carnosi orthotropus, ejusdem fere longitudine; *cotyledonibus* brevissimis, *radicula* longa, hilo proxima, centrifuga.

#### GENERA.

5015. *Tetrameles* R. Br.

5017. *Tricerastes* Presl.

5016. *Datisca* Linn.

**Affinitas.** Ordo germine cum calyce connato, et trophospermis carpophyllorum margine styli ferorum nervo medio insertis distinctissimus, nulli cognitorum affinis est, ob aliquam cum *Resedaceis* similitudinem, non dico affinitatem, hoc loco collocatus.

**Geographia.** Datiscearum genera, ut videtur monotypa, mire per terrarum orbem dispersa sunt. *Datisca* et *Tricerastes* herbae annuae sunt, illud in Asia mediterranea et Nepalia, hoc, vix nisi floribus perfectis distinctum, in California nascitur. *Tetrameles*, arbor proceræ, in insula Java habitat.

**Qualitates et usus.** *Datiscae canabinae* Linn. herba nauseosa-amara vomitum ciet et alvum laxat, non rari apud Italos adversus febrim intermittentem, morbos gastricos et scrophulosos usus. In radice amyli species, Inulinae similima (*Datiscina*), a chemicis reperta fuit. Nihil de *Tetramelis*, arboris javanicae (vulgo Weenong), qualitatibus compertum habeo.

### Classis XLIV. Nelumbia.

*Herbae* aquaticae, rhizomate crasso, repente, *succo* interdum lacteo; *foliis* alternis v. oppositis, emersis v. natantibus, cordatis seu peltatis, *calycis* tubo libero v. cum germinibus mediante toro connato; *corollae* petalis receptaculo sub germinibus, v. toro germina includenti partimque cum illis connato diversa altitudine insertis, inter se distinctis aut rarissime in corollam gamopetalam coalitis, *staminibus* cum petalis insertis, plerumque indefinitis; *germinibus* plurimis, distinctis v. verticillatum connatis, interdum etiam cum toro cohaerentibus, *gemmulis* plurimis v. intra germina distincta et unilocularia solitariis aut geminis, *fructu* baccato v. nucamentaceo, *seminibus* nunc albuminosis, *embryone* minimo, intra sacculum amnioticum superficiali, nunc exalbuminosis, embryonis maximi plumula valde evoluta, intra vaginam membranaceam recondita.

### Ordo CLXXXVII. Nymphaeaceae.

*Herbae* aquaticae, trunco repente, crasso, rhizomatoideo vado affixae, foliis floribusque emersis, natantibus. *Folia* longe petiolata, subrotunda, cordata v. peltata, integerrima v. denticulata, vernatione marginibus involuta, exstipulata. *Flores* perfecti, regulares, saepe ampli, caerulei, albi, rubri v. flavi, in pedunculis simplicibus, ebracteatis solitarie terminales. *Calyx* tetra-pentaphyllus, rarissime hexaphyllus, foliolis herbaceis v. intus coloratis, imo toro insertis, liberis v. basi in tubum, mediante toro cum germinibus connatum, coalitis, limbo supero, persistentibus v. deciduis. *Torus* carnosus, urceolaris, germina includens, nunc a calyce liber, basi v. diversa altitudine petala et stamina gerens, nunc cum calycis foliolis in tubum connatis coalitus, apice